



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

1. Martij. Qui se, suásque rationes Dei obsequio postponet, huic Deus multò consulit meliùs, quàm potuisset ipse consulere sibi, si Dei obsequium suis rationibus postponere voluisset. S. Ignat. ap. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

get; quem fecit, urit, disponit ad sanitatem; ita æternus pater filium, quem amat, castigat, cui parcit, non curat. Absit à me, Domine, prosperitas, absit indulgentia!

I. Martij.

Qui se, suasque rationes Dei obsequio postponit, huic Deus multò consulit melius, quàm potuisset ipse consulere sibi, si Dei obsequium suis rationibus postponere voluisset. S. Ignat. ap. Barr.

Cui prima est de Deo cura, omnia illi fluent secunda; cum enim ea, quæ Dei sunt, curamus, ille curat nostra, eaque longè feliciùs, quàm ipsi non solùm præstare, sed & optare potuissemus.

Desideria propria suspecta nobis esse debent; cum quid nobis expediat, ipsi nesciamus. Periculosa est nostra electio, id solùm est reliquum consilii, ut Deum amemus, & illum sinamus de nobis agere, quod illi visum fuerit.

Conatus nostri sæpe sunt detrimenta nostra, quæque appetebamus vehementiùs, quoties experti sumus, maximè nocuisse! Quæramus Regnum Dei, cætera adjicientur nobis.

Cum

Cùm quis sui videtur oblitus, tunc
Deus ejus maximè recordatur. Et quidem
ejus est Providentia, ut cura illi sit de om-
nibus, tenerior tamen, & paterna de illis
qui sui minorem habent. Jacta spem tuam
in Dominum.

2. Martii.

*Longè ad infima ei est descendendum
quisquis eniti ad sublimia velit. S. Ignatius
apud Ribaden. l. 5. c. 3.*

AD favores divinos alia non reperitur
semita, quàm per demissionem.
Hâc ivère, quotquot ad virtutis apices
sunt eluctati.

Altiores obices, quos ob arduitate
transilire non vales, profundè inclinatus
poteris superare. Ventus excelsas cedros
frangit, parcit myricis, quæ se ad omnes
ejus nutum submittere noverunt. Periculosa
sublimitas!

Si recumbas invitatus in novissimo loco,
sperare poteris te auditurum: amice, ascende
superiùs: Sic aquæ sublimiùs ascendent,
dum priùs profundiùs descenderunt.

Humilitate velle honores mercari, duplex
arrogantia est; mereri altiora laudem
habere.